Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-560737-p0001-0

No. 66 – 3. gl. Anno 1698

Die 27. Septembris.
Anno 1696.

Sammelband Fdß 1.

([illegible] est, qui in medio aliquid extollitur.)

quando terminatio Passivi
et significatio Activi } si semper est mediæ vocis.

de motione. pag: 23. et 24. || de Apostropho. pag: 14. 15.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-560737-p0002-5

GRÆCÆ SYNTAXEOS COMPENDIUM,

IN QVO

EX POSSELIANA REPEtuntur ea potiſſimum quæ Latini vel non habent, vel à Græcis habent:

Annotatis hoc fine ad marginem interdum etiam Græciſmis, circiter LX.

Operâ & ſtudio

M. TOBIÆ ECHARTI,
Delitiani, Scholæ Senatoriæ Numburg. Rectoris.

Adjecta Indice præcipuarum elegantiarum.

CUM PRIVIL. ELECT. SAXON.

LIPSIÆ,
Sumptibus Thomæ Schüreri Hæredum & Matthiæ Götzii.
Imprimebat JOH. ERICUS HAHNIUS.
ANNO M DC LXI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-560737-p0003-1

puncta [illegible] separatio exempli gratia
τείχει contr: τείχει.

Praepositiones construuntur et qui[dem]

(I). cum uno casu.

I). ἀντὶ, ἐκ, πρὸ et ἀπό. cum Gen:
II). ἐν et σὺν, — — — cum dat:
III). εἰς et ἀνά. — — — cum Acc:

(II) cum duobus casibus.

διὰ, κατὰ, μετὰ, ὑπὲρ. cum: Gen et Acc:

(III) cum tribus casibus.

ἀμφὶ περὶ ἐπὶ πρὸς παρὰ ὑπό,

Ampliſsimis, Excellentiſſimis & Prudentiſsimis Viris, Dominis Coſs. & cœteris Reipubl. Numburgenſis Senatoribus, Dominis Fautoribus ac Patronis,

S. P. P.

ANnus jam ſeptimus eſt, Viri Excellentiſſimi, ac Prudentiſſimi, cùm Syntaxeos Græcæ meum Compendium ſub Ampliſſimi veſtri Senatus patrocinio per publicum typum prodiit, idq́ ſuadentibus ita, & jubentibus Viris, Reverendâ dignitate, ac omni rerum uſu, atq; experientiâ Excellentiſſimis D. D. ſcholæ Inſpectoribus. Ex eo tempore in hunc usq; diem pubes noſtra ſcholaſtica per tot annos uſa libello hoc Syntactico, certè habet, quod Ampliſſimo Senatui veſtro mecum ingentes

agat gratias. Nam hâc ratione & ipſa in linguarum, Græcæ præſertim, ac Latinæ, multum progreſſa eſt cognitione; (id quod πανηγύρεις illæ Scholaſticæ aliquoties, etiam in veſtrâ interdum præſentiâ inſtitutæ, ad oculum quaſi demonſtrârunt) & ego ſtatim à primâ editione hujus opuſculi Ampliſſimam veſtram in me munificentiam, & in haſce Muſas propenſionem benevolam abundè perſenſi. Imò verò necdum refrixit illa planè divina in vobis virtus, ſed etiamnum radios ſuos Ampliſſimè ſpargit in hæc inferiora noſtra, eaq; ſuo & lumine, & motu, atq; adeò etiam influxu ita illuminat, movet, ac vegetat, ut, quemadmodum ex terræ fœcunditate cœli quoq;, atq; aëris bonitatem; ita ſimiliter ex Scholæ hujus optimâ conſtitutione, Ampliſſimi veſtri Senatus divinam virtutem certiſſimè colligere liceat. Cujus ſanè rei indicium, ſi nullum aliud eſſet, certè unum hoc ſufficiens

eſt ad rem, quam dixi, luculentiſſimè demonſtrandam: cùm non ita pridem unum, atq; alterum ex Ampliſsimo veſtro Collegio hoc nomine compellarem; exemplaria prioris editionis eſſe diſtracta omnia: igitur opus eſſe, ut nova aliqua editio procuretur, ſiquidem ipſorum Amplitudinibus ita viſum eſſet; ecce grata, & parata erant omnia. non ſolum enim annuebant optimi illi viri, verùm favorem etiam ad hanc rem mihi pollicebantur ampliſſimū. Nec dubito, quin cœteris quoq; omnibus Dnn. Conſulibus, ac Senatoribus Reipub. Veſtræ idem ſit animus juvandi Scholam, & literarum humaniorum, lingvarumq; ſtudia retinendi porrò in hâc, etiam ob eam rem celebriore factâ, veſtrâ urbe, atq; ita per filios veſtros, qui hiſce laboribus, ac lucubrationibus noſtris magno ſuo cum emolumento jam utuntur, fruuntur, ad Poſteritatem, ſi qua futura eſt, transferendi. Pro-

inde vade mi Parve Liber, vade alterâ etiam hâc vice, Dominus Tecum, *& divina ejus benedictio! quæ etiam faxit, oro ut ſub priſtino Amplisſimi Senatus Numburgenſis Patrocinio tutus inſervire huic Scholæ porrò posſis, & quantum in te eſt, Græcam, & unà etiam Latinam humanitatem propagare. Fiat, Amen, in nomine Domini Jeſu, Amen! Dab. Numburgi ex Muſæo meo ipſis Nonis Jan. Anno. 1628. qui ut felix, fauſtusq́; ſit Eccleſiæ, Reipub. Scholæ, ac toti Civitati veſtræ, ex animi mei ſententiâ precor.*

M. Tobias Echarteus, Rector Scholæ.

LIBER

LIBER. I.
DE
Syntaxi Nominum
CAPUT I.
De convenientia Nominum.
REG. I.
Adjectivum & Subſtantivum, &c.

NB. 1. *ADjectivis in* ος, *præſertim compoſitis, & derivatis, additur Subſtantivum fœminini generis, Atticè* (a) *ut,* κλυτὸς φήμη, *fama inclyta.* ψυχὴ δόλιος, *animus doloſus.* Item, βάρβαρος γλῶσσα, *lingua barbarica.* συμμαχία βέβαιος, *ſocietas firma.*

NB 2. Adjectivum neutrum ſubſtantivo maſculini, & fœminini generis jungitur, (b) ut, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, non utile eſt multorum imperium. πονηρὸν ὁ συκοφάντης, calumniator eſt res peſſima. (c) Ita Plut. περὶ παίδων. Παιδεία τῶν ἐν ἡμῖν μόνον ἐστὶν ἀθάνατον καὶ θεῖον. (Epictetus χρῆμα adjecit in hoc: ἀθά-

(a) Enallage Generis Attica.

(b) Iterum enallage Generis, & ſimul ellipſis. Intelligitur enim τὶ, vel χρῆμά ἐστι.

(c) Græciſmus expreſſus Virgilio quoque; triſte lupus ſtabulis. Et iterum; varium & mutabile ſemper fœmina. Itē Silio: mite & cognatum eſt hominī deus.

νατον χρῆμα ἡ ἀλήθεια· ϗ ἀΐδιον]

NB. 3. Cum de duobus ſermo eſt, Græci ſæpè ſubſtantivum in uno, adjectivum in alio numero collocant: (a) ut, δύω μαθηταὶ, duo diſcipuli. ἐξ ἀμφοῖν ψευδῶν, ex utrisq; falſis.

NB 4. Sæpiſſimè Subſtantivum adjectivo non reſpondet caſu, ſed eleganter permutatur genitivo plurali, qui plerumq; veſtitꝰ eſt articulo (b) ut, οἱ μάταιοι τῶν ἀνθρώπων, homines vani. τὰ καθαρὰ τῶν σωμάτων, corpora pura. Ita, οἱ εὐφρονοῦντες τῶν ἀνθρώπων, homines ſapientes (c)

(*Hæc exempla*, ἀνὴρ τῶν ἀγαθῶν, *pro* ἀνὴρ ἀγαθὸς, *vir bonus*: στολὴ τῶν καλλίστων, *pro* στολὴ καλλίστη. *ſtola pulcherrima &c. aliò pertinent, vide reg. 2. cap. 1. lib. 2. Interim magnam habent cognationem cum præſenti conſtructione.*)

NB. 5. Nonnunquam ponitur adjectivum ſubſtantivo intellecto. (d) ut, πρὸς ὀρθὴν, ad rectam lineam. ποτήριον ψυχροῦ poculum frigidæ aquæ. (illic enim intelligitur γραμμὴν vel γωνίαν; hìc verò ὕδατος. Eſt igitur Ellipſis) ſic ἀρετὴν ἄσκει ἐκ νέας, ſcilicet ἡλικίας.

(a) Enallage numeri.

(b) Enallage caſus.

(c) Græciſmꝰ expreſſus Plinio: nigræ lanarum, pro nigræ lanæ, Et degeneres canum, pro degeneres canes. Itẽ Poëta, opaca locorum.

(d) Græciſm. frigidâ lavare. Et, frigidã adſpergere. Ita Plinius: decoquere ad tertias. Item Terentius: me in tuis ſecundis reſpice.

Reg. II.

Reg. II.

Appoſitionem vocarunt, &c.

NB. 1. Aliquando Subſtantivum alterum omittitur: ut, Ἀλέξανδρος τοῦ Φιλίππου, ſcilicet υἱός, Alexāder Philippi, intellige filius. Ἰάκωβος τοῦ Ζεβεδαίου, Jacobus Zebedæi, filius ſcil. [a]

(*Dicunt etiam Græci:* Ἀλέξανδρος ὁ Φιλίππου: *quâ ratione Latini non utuntur* Διόφαντον τὸν Θεμιστοκλέους πολλάκις λέγουσι φάναι. *Diophantum Themiſtoclis filium ferunt ſæpè dicere ſolitum. Vide Reg. 4. c. 1. lib 3. Duplex enim hîc ellipſis eſt nominis Subſtantivi, & Participii* ὤν, *aut hujusmodi: ut & in illo,* Μαρία ἡ Ἰακώβου, *ſcil.* νομιζομένη μήτηρ, *Maria Jacobi, intellige mater vulgò habita.*)

NB 2. Quandoq; in appoſitione fit Enallage, ut Ἀθηνῶν πόλις, pro Ἀθῆναι ἡ πόλις, urbs Athenæ. Κῦμα Σκαμάνδρου, h. e. ut Latinus Poeta expreſſit, unda Scamandri, pro Σκάμανδρος ποταμός, (a)

(a) Græciſm. Virg. Hectoris Andromache, ſcil. uxor. 3. Æn. Idem. 6 Æn. Deiphobe Glauci, ſcil. filia.

(a) Græciſm. Buthroti urbs. Aventini mons. Et Cic. Homo Phryx, qui arborē fici non viderat. Sic in Germ. illâ cantione, an ihre Bäwm der Weiden/ etc.

Caput II.

De Genitivo cum Nomine.

Reg. I.

Subſtantivum cum Subſtantivo, &c.

Mediante Propoſitione περὶ ſ. cr.

NB. 1. Genitivus ſimplex interdum pluribus effertur. ut, ὁ περὶ τὸ σῶμα κόσμος, pro τοῦ σώματος κόσμος, corporis ornatus. κοινωνία ἐν τοῖς κινδύνοις, pro τῶν κινδύνων κοινωνία, communio periculorum.

NB. 2. Subſtantivè uſurpata adjectiva in neutro genere ſimiliter genitivos adſciſcunt: ut εἰς τοῦτο προελήλυθε μοχθηρίας, eò pravitatis pervenit, pro εἰς ταύτην μοχθηρίαν. Sic, πλεῖστον χάριτος, pro πλείστη χάρις, multum gratiæ. (b) Igitur ubiq videndum ad uſus Authorum probet

REG. II.

Subſtantiva geminum admittunt genitivum in iis, quæ ad laudem, vel vituperium pertinent: ut, ἀνὴρ μεγάλης βουλῆς, vir magni conſilii. Ita, ἔργον μεγάλου πόνου, καὶ πολλῆς δαπάνης, magni laboris, & multæ impenſæ opus (a)

NB. Idem interdum aliter etiam effertur. utpote 1. per nominativum & dativum, ut ἀνὴρ μέγας ἀρετῇ. & hoc ſenſu ad reg. 2. c. ſeq. refertur. 2. per nominativum & accuſativum, ut: ἀνὴρ μέγας βουλήν: qua ratione pertinet ad reg. illam c. 4. hoc libro.

(b) Græciſm. Catullus non videmus manticæ, quod in tergo eſt: pro manticam eam, quæ in tergo eſt. Cic. qui magis hoc Lucilio licuerit aſſumere libertatis.

(a) Gellius Vir acerrima in ſtudiis licentiæ M. Tullius.

REG. III.

Comparativus & Superlativus genitivos numeri; ille ſingularis, hic pluralis adſciſcunt. ut, σταχάνης δικαιότερος, trutinâ juſtior. βέλτιστος πάντων, omnium optimus, χαλεπώτερον τὸ φυλάττειν τ' ἀγαθὰ τοῦ κτήσασθαι, dictum Phocæ Imper. h. e. non minor eſt virtus quàm quærere, parta tueri.

(*Hæc regula intelligatur* ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. *Aliàs enim & Comparativus nonnunquam cum genitivo plurali; & Superlativus cum genitivo ſingulari nominis collectivi conſtruitur. ut,* πολλῶν χρημάτων κρείττων ἡ ἀρετή *virtus multis divitiis melior.* ἀνὴρ τῆς συγκλήτου βουλῆς ἄριστος, *vir convocati Senatus optimus.*)

Nota: aliquando non ſequitur Genitivus, ſed vel particula ἤ, vel præpoſitio cum ſuo caſu: ut, δικαιότερος ἢ σταχάνη, vel ὑπὲρ σταχάνην, trutinâ juſtior. ἀσθενέστερός εἰμι, ἢ ποιεῖν (vel, ἢ ὥστε ποιεῖν) τοῦτο. Infirmior ſum, quàm ut poſſim præſtare hoc. μεῖζον τοῦτο ἔργον, ἢ κατὰ ἄνθρωπον, majus hoc negotium eſt, quàm quod homini conveniat.

Ita;

Ita: βέλτιστος ἐν πᾶσι, omnium optimus. ἐγὼ ἐξ ἁπασῶν ἡ καλλίστη ἔδοξα, ego ex omnibus pulcherrima viſa ſum.

Reg. IV.

Adjectiva, quæ copiam ſeu plenitudinem, curam ac deſiderium, differentiam & diverſitatem, notitiam, ordinem, participationem, pretium, ſive dignitatem, reatum item, & plerumq; etiam contrà ſignificant, genitivum adſciſcunt.

1. Copiam & contrà πλείη γαῖα κακῶν, plena eſt terra malorum. φίλων ἔρημος, orbus amicis. (a)

2. Curam ac deſiderium, & contrà. διψαλέος αἵματος, ſitiens, ſive cupidus ſangvinis. ἀμελὴς τῶν μουσῶν, ſecurus vel negligens Muſarum. (b)

3. Differentiam & diverſitatem: διάφορος ἄλλων, aliorum diſſimilis. ἕτερον τοῦ ἀληθοῦς, alienum à vero. (c)

4. Notitiam, & contra. ἔμπειρος πολέμου, peritus belli. ἄπειρος τῶν πράξεων, imperitus actionum.

5. Ordinem. οὐδενὸς ὕστερος. οὐδενὸς δεύτερος, nemine poſterior, nulli ſecundus, er gibt keinem nichts zuvor. μέσος ἀμφοῖν, medius inter utremq;.

6. Parti-

(a) Græc. Terent. plenus rimarum. Cic referta Pythagoreorum Italia Id, ager frugum vacuus. &c.

[b] anxius gloriæ, inquit Livius. Et ruit in vetitum damni ſecura libido. Claud.

(c) Græciſ. igitur eſt in hoc Horatii: neve putes alium ſapiente, bonoq; beatum. ἄλλον τοῦ σοφοῦ. Itẽ in illo Tibulli: hoc alium deſine velle virum, h. e. alium ab hoc, vel alinam, quàm hunc.

6. Participationem. κοινωνὸς τῶν ἀποῤῥήτων, particeps ſecretorum. τιμῆς ἄμοιρος, expers honoris.

7. Pretium ac dignitatem, & contra. ἄξιος τῆς τροφῆς, dignus cibo. πολλοῦ ἄξιον, magni pretii res. οὐδενὸς ἄξιον, nullius momenti res. ἀνάξιος τῆς ὑπαρχούσης εὐδαιμονίας, indignus præſente felicitatę. Ita, πάντα ὤνια πλούτου, omnia divitiis comparari poſſunt. (a)

8. Reatum. ὑπαίτιος κλοπῆς, reus furti, ἀγνὸς φόνου, inſons cædis. (b)

Nota: ex iis, quæ reatum ſignificant, ἔνοχος præſertim & ὑπεύθυνος, nunc cum genitivo, nunc cum dativo conſtruuntur. ut, ἔνοχος ἁμαρτημάτων, criminibus obnoxius. ἔνοχος τῇ προδοσίᾳ, reus proditionis. ὑπεύθυνος οὐδενὶ, nemine obnoxius. Et ὑπεύθυνος ἕκαστος ἡμῶν τῆς τοῦ πλησίον σωτηρίας, h. e. unusquisque noſtrûm de ſalute proximi ſolicitus eſſe debet.

(*Ad hanc regulā pertinent etiam illæ in ſacris literis uſitatæ locutiones, ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, homo peccati ὁ οἰκονόμος τῆς ἀδικίας, Oeco-*

nomus

(a) Græciſ. Ovid 3. de arte. Curia conſilii quæ nunc digniſſima tanti. Cic. l. 8. Att. Obſecro te, mi Cicero, ſuſcipe curā & cogitationem digniſſimam tuæ virtutis. Virg. 12. Æn. Deſcendam magnorū haud unquam indignus avorum.

(b) Horat. Integer vitæ, ſceleriſque purus &c.

nomus injuſtitiæ, τὰ τέκνα τῆς ὀργῆς, *filii iræ.* ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, *filius perditionis &c. ſemper enim ſubintelligere poſſumus vel* πλέος, *vel* κοινωνὸς, *vel* ἄξιος, *vel* ἔνοχος, *vel hujusmodi aliud aliquid.*)

Reg. V.

Quæ partitionem ſignificant, &c.

NB. 1. Partitiva per particulas ἐν, ἐκ, vel ἐξ ſolent exponi, ut, τὶς ἡμῶν; τὶς ἐξ ἡμῶν; quis noſtrûm? οὐδεὶς ἀνθρώπων nemo hominum. οὐδεὶς ἐν ἀνθρώποις, nemo inter homines.

NB. 2. Quando partitio diſtributionem habet, initio rectè genitivus ponitur, ſed tamen qui non rarò permutetur caſu ipſarum partium, Atticè, (a) ut, οἱ ἄνθρωποι, οἱ μὲν ἀγαθοὶ, οἱ δὲ πονηροὶ, pro τῶν ἀνθρώπων οἱ μὲν &c. hominum alii boni, alii mali. τοὺς φίλους, τοὺς μὲν ἀπέκτεινε, τοὺς δὲ πένητας ἀπέδειξε, pro τῶν φίλων τοὺς μὲν &c. Amicos illos quidem occidit, hos verò pauperes reddidit.

(a) Græciſ. quem Liv. expreſſit; Cum duo conſules ejus anni, alter morbo, alter ferro periiſſet; pro duorũ conſulum alter.

Confer Reg: 5 in Synt: Verb: cum Geni p. 23.

Reg. VI.

Adjectiva crebrò gaudent genitivis ſubſtantivorum, per defectum vocis ἕνεκα. ut, μακάριος τῆς πίστεως, beatus

beatus propter fidem. ἄθλι@ τῆς τύχης, infelix ob fortunam. (b)

(b) Græciſ. Fortunatus laborum, Virgil. 12. Æn. Horat. laſſus maris & viarum, militiæq́ꝫ. Idem: integer vitæ, ſcilicet ratione habita.

REG. VII.

Etiam in materialibus, genitivus per ellipſin adhiberi ſolet. ut ςέφανος ῥόδων, corona roſacea. αὐλὸς καλάμης, fiſtula ex culmo, βωμὸς λίθε, ara lapidea, &c. ſemper enim intelligitur præpoſitio ἐκ cum participio πεποιημένος. conf. reg. 6. c. 2. lib. 2. p. 24.

CAPUT. III.

De Dativo cum Nomine.

REG. I.

Dativum (præter ea, quæ commodum, facilitatem, ſimilitudinem, affinitatem aliquam &c. & contra ſignificant, ut eſt in latinâ Syntaxi) adſciſcunt adjectiva, quæ paſſivè capiuntur, item compoſita à σὺν, & ὁμȣ. ut, ἄγνωςον τοῖς πολλοῖς, ignotum multis. σύντροφος ἐμοὶ, convictricius mihi: Ιησȣ̃ς ὁμοȣ́σιος πατρὶ, conſubſtantialis Patri Jeſus.

REG. II.

Dativo caſu efferuntur, quæ cauſam, inſtrumentum, modum, aut ſimilem aliquam circumſtantiam ſignificant, ut, μετέωρος τῇ ἐλπίδι, cel-

ſus,

ſus, ſeu elatus ſpe alicujus rei. θρασὺς ςόματι, audax ore. μείζων ἑνὶ δακτύλῳ, major uno digito.

Reg. III.

* Dativum adſciſcunt etiam multa verbalia, ad verborum ſuorum imitationem. ut ἄρχοντες ὑπηρέται τοῖς νόμοις, Principes miniſtri legum. (quia dicimus, ὑπηρετεῖν τινὶ miniſtrare alicui) ὀπηδὸς ἀνδράσι καλοῖς, qui ſectatur honeſtos viros. (quia dicimus, ὀ-[redacted] τινὶ) Ita, τοῖς πάθεσιν ἀκολουθητικὸς, voluptatum ſectator, (quia ἀκολουθεῖν τινὶ.)

Ita Cic 3. offic. facite, ut veſtra autoritas meæ autoritati fautrix ſit. Dicimus enim, faveo tibi. Plaut. Amph. Opulento homini hoc magis ſervitus dura eſt. pro, ſervitus, quam quis ſervit opulento.

Reg. IV.

* Græci eleganter utuntur gemino dativo, mediante conjunctione καὶ, ubi Latini unico tantùm utuntur, addentes vel Adverbium tecum, vel Præpoſitionem cum, cum ſuo caſu; & genitivum rei vel negotii. ut, τί ἐμοὶ καὶ σοὶ γύναι quid mihi tecum eſt mulier? *(Ellipſis eſt, quia intelligitur* κοινὸν, *vel* πρᾶγμα. *quod quandoq; exprimitur. ut,* οὐδέν ἐστιν ἐμοὶ καὶ σοὶ πρᾶγμα: *vel,* οὐδέν ἐστιν ἐμοὶ πρὸς σὲ πρᾶγμα, *nullum eſt mihi tecum negotiũ.)*

Caput

Caput IV.

De Accuſativo cum Nomine.

Adjectiva per Synecdochen accuſativos ſubſtantivorum adſciſcunt, maximè in quibus vel patriam, vel gentem, vel habitum, vel partem ſignificamus. ut πατρίδα ῥωμαῖος, patriâ Romanus. σοφὸς τὰ ἐρωτικὰ, peritus rerum amatoriarum. τὴν ῥῖνα κορύζης μεστὸς, nares muco plenus.

Græciſm. Horat. nec Mauris animũ mitior angvibus. Virg. Os, humeroſq; Deo ſimilis.

(*Fit hoc per Ellipſin Præpoſitionis, quæ interdum etiam exprimitur. ut* κατὰ σῶμα καλὸς, *pulcher corpore. Et ut Dionyſ. Halic. dicit,* τὰ πολέμια δεινότατος. *ſine præpoſitione: ita Plutarchus cum præpoſitione,* οἱ περὶ ταῦτα δεινοί. *Ariſtoph.* δεινὸς εἰς τὰ πάντα. *Aliàs ea, quæ habitum ſignificant, etiam genitivo efferuntur vide ſup. c. 2. reg. 4. n. 4.*)

Nota. His vocibus, ὅσος, τοσοῦτος, τοιοῦτος, τηλικοῦτος, & ſimilibus per Synecdochen τὸ μέγεθος, vel τὸ πλῆθος additur. ut, πολλοὶ ἀγνοοῦσιν, ὅσον ἔργον τὸ μέγεθος ἐνίστανται, multi neſciunt, quantum opus ſuſtineant. Τοσαύτη τὸ πλῆθος συμφορὰ, tanta calamitas.

(Similis ferè ratio in aliis etiam obſervatur, ut, τὰ πράγματα τὸν ἀριθμὸν ἄπειρά ἐστι, *h. e. res innumerabiles ſunt. &c.)*

LIBER II.

De Syntaxi Verborum.

Caput I.

De Caſibus rectis cum Verbo.

Reg. I.

Nominativus præcedit verbum &c.

NB. 1. Loco Nominativi uſurpant Attici genitivum, ut, εἴθε μοι τούτου τοῦ ἀγαθοῦ γένοιτο νῦν; Utinam mihi fiat nunc illius boni!

Ita Cic. Fac tibi paternæ legis veniat in mentem: pro, paterna lex.

(Eſt enallage caſus. Quanquam nonnulli exiſtimant hîc nomen χρῆμα, *vel* χρῆσις, *vel* δύναμις, *vel* μέρος *per ellipſin omiſſum eſſe.)*

NB. 2. Interdum infinitivus, aut tota oratio infinitiva pro nominativo ponitur. ut, τὸ πᾶσιν ἀρέσαι δυσχερέστατόν ἐστιν, omnibus placere difficilimum eſt.

NB. 3. Nominativo duali reſpondet quandoq; verbum plurale. ut, ἄμφω

λέγουσιν, ambo dicunt. ἦσαν Κροίσῳ παῖδες δύω, Herod.

NB. 4. Atticè neutris pluralibus additur verbum ſingulare, ut τῷ ἀργυρίῳ ὑποτάσσεται πάντα, pecuniæ obediunt omnia.

NB. 5. Græci ſæpê omittunt verbum, præſertim ſubſtantivũ: ut, πλεονεξία μέγιστον ἀνθρώποις κακὸν, ſcil. ἐστὶ, avaritia maximum hominibus malum.

Græciſ. ſcire tuũ nihil eſt. Et Cic. Ipſum quidẽ peccare, quoquò te vertas, unum eſt: pro, ipſum peccatum. Ita Latinis rari quippe boni. Hoc virtutis opus.

Reg. II.

Verba Subſtantiva, item nuncupandi, & quæ ſimilem vim habent, utrinq; nominativum adſciſcunt.

ut ἐκεῖνος { ἐστὶ / λέγεται / ἀκούει } δόκτωρ.

Ille eſt, ille dicitur, ille audit Doctor.

Nota. Mutatur nominativus ſequens verbum, præſertim ſubſtantivum, eleganter in genitivum pluralem Atticè. ut, ἐκεῖνος ὑπάρχει τῶν εὐσεβέων, pro εὐσεβὴς, ille eſt piiis.

(Sunt qui ellipſin hic agnoſcunt nominis partitivi: pro ἐκεῖνος ὑπάρχει

 εἷς τῶν

εἷς τῶν εὐσεβέων: *Ita* Ἑρμιόνη ἐςὶ τῶν οὐκ ἀσήμων πόλεων, Hermione una eſt è non obſcuris urbibus. Sed & alia ratio hujus locutionis reddi poterit ex reg. 2. cap. ſeq. Cæterum hoc quoq; obſervatione dignum eſt, verbum quandoq; omitti, ut οὐδὲ τῶν ἀδικούντων ἐγὼ neq; ego ſum è numero nocentium.)

Reg. III.

Vocativi ſecundæ perſonæ, &c.

NB. Uſurpant Attici nominativum pro Vocativo ut, ὁ κύριος ἐλέησόν με, Domine miſerere mei. Ita Luc. 8. ἡ παῖς ἐγείρου, puella ſurge. Et Matth. 27. χαῖρε ὁ βασιλεὺς, ſalve rex.

Græc. Virg. adſis lætitiæ Bacchus dator.

(Duo præterea hic obſervanda

1. Attici, cùm ſermo eſt ad magnas perſonas, non directè Imperativo utuntur, ſed optativo, cum particulâ ἂν, ut κλύοις ἂν, pro κλῦθι; audi quæſo.

2. Græci interdum infinitivo pro Imperativo utuntur. ut, μὴ πλουτεῖν ἀδίκως, pro μὴ πλούτει, ne ſtudeas injuſtè diteſcere. Ita Heſiod. καδδύναμιν δ' ἔρδειν ἱερ' ἀθανάτοισι θεοῖσι, pro

ἔρδε

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-560737-p0022-6

ἔρδε. Eſſet igitur enallage modi. Alii ellipſin dicunt eſſe, & ſubintelligunt μέμνησο, aut δέλε, &c.)

CAPUT II.

De Genitivo cum Verbo.

REG. I.

Verba abundandi, abſtinendi, abſolvendi, accuſandi, admirandi, æſtimandi, arcendi ac prohibendi, aſſequendi & conſequendi, appetendi ſeu concupiſcendi, ac deſiderandi, contemnendi & negligendi, curandi, deſinendi, dominandi ac imperandi, damnandi, differendi ac diſtandi, egendi, errandi, fruſtrandi, fruendi, incipiendi, implendi, liberandi, memoriæ, oblivionis, parcendi, participandi, permutandi, privandi, ſenſuum, ſuperandi, tangendi ſeu apprehendendi, & ſimilia, genitivum adſciſcunt, ut λῆγε τῶν πόνων, deſiſte à laboribus. (a) ἀπέχειν vel ἀπέχεσθαί τινος abſtinere ab aliquâ re. (b) δεσπόζειν τινὸς, dominari alicui. (c)

γεμίσατε τὰς ὑδρίας ὕδατος, implete hydrias aquâ. (d)

(a) Græciſ. Virg. 10. Æn. tēpus deſiſtere pugnæ. Horat. deſine mollium tandem querelarum.

[b] Græc. abſtineto irarum, calidæque rixæ. Horat.

(c) Græc. Horat. agreſtium regnavit populorū.

(d) Græc. Virg. implentur veteris Bacchi.

θαυμάζειν τινὸς, admirari aliquem, vel aliquid. (e)

ϛερήσεται τῆς πόλεως, privabitur civitate. [f]

λύσω σε δεσμῶν, ſolvam te vinculis. [g]

σπανίζειν τῶν ἐπιτηδείων, rebus neceſſariis carere. (h)

ἀπορεῖν χρημάτων, indigere nummis. (i)

τυχεῖν τιμῆς, conſequi honores. (k)

Φόβος κολύει πονηρευμάτων, metus prohibet peccata. (l)

NB. 1. Videndi verba vulgò, & Atticè etiam reliquorum ſenſum verba, accuſativum adſciſcunt.

NB. 2. δέομαι, h. e. rogo, peto: item λαμβάνομαι, & ἐπιλαμβάνομαι, quando idem quod apprehendo, & nanciſcor ſignificant, genitivo junguntur. ut, δέομαι σου μὴ δέεσθαι ἀνόμων, te rogo, ne petas iniqua. ἐὰν λάβωμαι σχολῆς γράψω, ſi nactus fuero otium, ſcribam.

Reg. II.

εἰμὶ & γίνομαι ſub proprietatis ac perti-

(e) Virg. Juſtitiæne prius mirer, bellive laborū? [f] Lucret. citante Servio ſuperi ſpoliatus luminis aër. (g) Liv. Levarunt animum religionis. Et Lipſius, liberaſti me omnis ſuſpicionis, &c. (h] Græc. Ter. tui carendum quòd erat. [i] Ter. quaſi tu hujus indigeas Patris. Saluſt. majores noſtri neq; conſilii, neq; audaciæ unquam eguerunt. [k] Tacit. dum do-

pertinentiæ, item ortus, atq; adeò etiam laudis aut vituperii ſignificatione, genitivum adſciſcunt. (a) ut, τ8τ8 τ8 τρόπ8 ἐςὶ, hoc ingenio, vel his moribus præditus eſt. αἵματ𐅃 εἶ ἀγαθ8, bono ſangvine ortus es. ἐλάτ]ον𐅃 τροφῆς ἐςι, paucioris cibi eſt. Γίνεται ἑτέρ8 δεσπότ8, fit alterius Domini. εἶναι ἑαυτ8, ſui juris eſſe.

REG. III.

Genitivum adſciſcunt verba parte[redacted]ſubſtantiæ alicujus [redacted]: ut κρέμω σε τ8 ποδὸς, ſuſpendo te pede. ἕλκει ῥινὸς, trahit te naſo. λύκον τῶν ὤτων ἔχω, lupum teneo auribus. (quod ultimum exemplum ad reg. 1. hujus capitis referri etiam poterit) Ita, πίνω ὕδατ𐅃, bibo de aqua. q. d. partem aquæ.

REG. IV.

Multa verba genitivum regunt vi præpoſitionis, cum quâ componuntur, ut ἀπωθεῖν τ8 συμποσί8 pellere è convivio. ἐκβαλῶ τῆς οἰκίας, domo ejiciam.

REG. V.

Crebrò etiam Genitivus ἐλλειπτικῶς

minationis adipiſcerentur.

[1] Silius. captæ prohibere nequiret cum Pœnos aquilæ.

[a] Græciſ. Plaut. haud cenſebam iſtarū eſſe operarum Patrem. Livius lib. 5. Turbare volunt concordiam ordinum, quam diſſolvendæ maximè tribunitiæ poteſtatis rentur eſſe, h. e. pertinere vel facere ad diſſolvendā poteſtatem.

ponitur, deficientevoce ἕνεκα. ut. εὐδαιμονίζω σε τῆς τύχης, beatum te prædico, propter fortunam. ἐπαινεῖν τοὺς λακεδαιμονίους τῆς μεγαλοφροσύνης, laudare Lacedæmonios propter animi magnitudinem. †

(Talis quoq; ellipſis eſt in illis formulis: οὕτως ἔχω τῆς φύσεως, *tali naturâ ſum præditus* οὐκ οἶδα παιδείας ὅπως ἔχει, καὶ δικαιοσύνης, *neſcio quàm doctus, & quàm bonus ſit.* πῶς ἔχεις δόξης περὶ τούτου; *quid ſentis de hac re? &c.)*

† Græciſm. igitur eſt, quādo Imper. lib. 3. Inſtit. ait, laudamus Prætores ſuæ humanitatis.

Reg. VI.

Materia quoq; genitivo caſu enunciatur. ut, ἀνδριάντα ἐποίησε μαρμάρου, fecit ſtatuam ex marmore. ἐκ λιβανωτοῦ θυμιᾶν, thure ſuffitum facere.

(Videtur eſſe ellipſis Præpoſitionis alicujus, quæ interdum etiam exprimitur. ut, τὸ ποτήριον πεποίηται ἐκ χρυσοῦ, *poculum hoc factum eſt ex auro.* † *vide reg. 7. c. 2. lib. 1.)*

† Planè ad hunc locū ſpectat illud Propertii, libr. 2. auro ſolis erant ſupra faſtigia currus, pro currus ſolis erant ex auro.

Caput III.

De Dativo cum Verbo.

Reg. I.

Reg. I.

Verba omnia, in quibus eſt quædam acquieſcendi, auferendi, congruendi ſeu conveniendi, converſandi, concedendi ſeu tribuendi, certandi & pugnandi, dandi, precandi, ſequendi & comitandi, ſimilitudinis, utendi, & talis aliqua ſignificatio, dativum adſciſcunt: ut, *ἕπεται* vel *ἀκολουθεῖ τοῖς τερπνοῖς τὰ λυπηρὰ* h. e. voluptatem ſequitur dolor. (a) *τοῖς οἰκείοις πολεμοῦσι*, cum domeſticis bellum gerunt. (b) *εὔχομαι θεοῖς*, Deos precor. (c) [illegible]

Reg. II.

Dativo caſu cum verbis efferuntur, quæ cauſam, inſtrumentum, & modum actionis ſignificant. ut, *φθόνῳ ταῦτα ποιεῖς*, invidiâ hæc facis. *ἀπέκτεινε τῷ ξίφει*, interfecit gladio. *τίνι τρόπῳ γράφεις*; quomodo ſcribis?

Reg. III.

Dativum quoq; adſciſcunt verba multa, vi particulæ, cum quâ componuntur, ut *ἐμμένειν ταῖς συνθήκαις*, ſtare pactis. *τούτοις ἀντιλέγει*, his contradicit.

(a) Græciſ. Cic lib. 5. Tuſc. qq. cætera, quæ comitātur huic vitæ.
(b) Virg. Solus tibi certet Amyntas. Ovid cœpto pugnemus amori. Statius magno bellare parenti.
(c) Virg. 8. Æn. cui me fortuna precari voluit.

CAPUT IV.

De Accuſativo cum Verbo.

REG. I.

Præter activa verba, quodvis etiam verbum nominis ab eo deducti accuſativum admittit. ut, χαίρειν χαρὰν, gaudere gaudium. νοσεῖν νόσον, laborare morbo. πλουτεῖν πλοῦτον, abundare divitiis.

Virg. Hunc ſine me furere ante furorem. Cic. jurare jusjurandum.

REG. II.

Multa verba activæ vocis duos accuſativos, unum perſonæ, alterum rei; cumq; vel ſuæ, vel alienæ derivationis adſciſcunt. Suæ, ut, ἀδικῶ σε ἀδικίαν, afficio te injuriâ. Alienæ autem, ut,

ἀδικῶ σε afficio te injuriâ { ταῦτα -- in hâc re, μηδὲν, - in nullâ re.

NB. 1. Eandem conſtructionem verba faciendi, & nonnunquam etiam dicendi, ſequuntur, Atticè. ut, ἀγαθὰ τὴν πόλιν ἐποίησε, Reipublicæ benefecit. Ita Ariſtoph. λέγω σε κακὰ πολλὰ, multa mala tibi dico.

(*Eſt enallage accuſativi loco dativi Attica. Communiter enim hæ formulæ*

ita eſ-

ita efferuntur: ἀγαθὰ τῇ πόλει ἐποίησε. *Et,* λέγω σοι κακὰ πολλά.)

NB. 2. Rurſum in verbis illis faciendi ac dicendi pro accuſativo rei ponitur interdum adverbium εὖ, καλῶς, κακῶς cum ſignificatur benè vel malè fieri, ac dici alicui. ut καλῶς ποιεῖτε τοὺς ἐχθροὺς, benefacite inimicis. σήμερον οὐκ ἐβασίλευσα. οὐδένα γὰρ εὖ ἐποίησα, dictum Titi Imperat. Ita, κακῶς λέγειν τοὺς ἄρχοντας οὐκ ἔστι, maledicere Imperantibus non licet. Et τὸν φίλον μὴ κακῶς λέγε, Pittaci dictum. †

† Per Græciſm. igitur dixit Apuleius: reſtat ut benedicentes Deum ad curam corporis redeamus.

Caput V.

De Verbis cum Nominibus pretii, & temporis.

Reg. I.

Pretium communiter genitivo, quandoq; etiam dativo caſu effertur. ut, δύο στρουθία ἀσσαρίου πωλεῖται, duo paſſerculi minuto aſſe veniunt. καπνοῦ σκιᾶς οὐκ ἂν πριαίμην, Demoſth. fumi umbrâ non emerem. ἰδίῳ θανάτῳ τὸ ποίμνιον πριάμενος, propriâ morte gregem emens.

NB. 1. Aliquando pretium additâ præ-

præpoſitione πρὸς, ἀντὶ, ἐπὶ, aut ſimili effertur. ut, πιπράσκει ὁ κακὸς πάντα πρὸς ἀργύριον, vir malus omnia vendit argento: h. e. nihil non venale habet propoſitâ pecuniâ: ἐπώλουν ἀντὶ τοῦ οἴνου vendidi vino. ἐπὶ μισθῷ μεγάλῳ, magno pretio.

NB. 2. Interdum ſuccedunt genitivi πόσου, πολλοῦ, πλείονος, ὀλίγου, μικροῦ, & ſimiles. ut, πόσου ἠγόρασας τὸ βιβλίον; quanti emiſti librum? πολλοῦ ἐπριάμην, magno pretio emi.

Reg. II.

Temporis nomina, quibus quæritur Quando, genitivo caſu, & interdum etiam dativo; at quibus Quamdiu quæritur, accuſativo, vel dativo efferuntur. ut, μελετᾶν ἡμέρας καὶ νυκτὸς, meditari die ac nocte. Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, eodem die. ὅλην τὴν ἡμέραν, εἰργασάμην, totum diem operatus ſum. εἴκοσιν ὅλοις ἔτεσιν ἀποδημήσας, viginti annos peregrinatus.

Caput VI.

De Verbis Paſſivis.

Reg. I.

Paſſivorum proprius caſus eſt genitivus,

nitivus, cum præpoſitione ὑπὸ, παρὰ, & ſimili.

NB. 1. Nonnunquam genitivus in dativum mutatur, præpoſitione neglectâ: ut πεποίηταί μοι τοῦτο, hoc à me factum eſt. διδάσκομαί σοι, doceor à te. †

† Græciſm. Ovid. Barbatus hîc ego ſum, quia non intelligor ulli, pro, ab ullo. Virg. Nulla tuarum audita mihi, nec viſa ſororũ.

NB. 2. Verba, quæ non habent terminationem paſſivam, & tamen paſſionem aliquam ſignificant, more paſſivorum verborum, genitivum agentis cum præpoſitione admittunt. (a) ut, παθεῖν πρὸς ἄλλων, pati ab aliis. ἀπέθανεν ὑπὸ γυναικὸς, â muliere (interfectus) mortuus eſt.

(a) Ita Cic. Nihil valentius, à quo intereat. Plin. Ab Hannibale periit.

Reg. II.

Verba, quæ in activa diatheſi duplicem caſum habuerunt, ſive utrumq; accuſativum, ſive dativum perſonæ, & accuſativum rei, ea rei accuſativum in paſſivâ etiam formâ retinent; ſed caſum tamen perſonæ mutant in nominativum. ut, οὗτος ἀδικεῖται ὑπὸ μοῦ ἀδικίαν, hic à me afficitur injuriâ. (quia dicimus, τοῦτον ἀδικῶ ἀδικίαν, juxta reg. 2 c. 4. lib. 2.) Μωρὸς οὐ πιστεύεται τὴν ἀρχὴν, ſtulto non committitur Imperium. (quia dicimus

dicimus aliàs, *μωρῶ ἐ πιστεύομεν ἀρχὴν*) Ita, *κατὰ τὸ ἐυαγγέλιον, ὃ ἐπιστεύθην ἐγὼ* ſecundum Evangelium, quod mihi concreditum eſt. (a)

(a) Ita Gellius, ſocios maximas pecunias exactos, dixit: quia dicimus, exigere aliquem aliquid. Et Virg. Inſcripti nomina regũ flores. Dicimus enim, inſcribere floribus nomina.

Caput VII.

De Imperſonalibus.

Reg. I.

Verbo ἐστὶ, quando deſcribit officium, adjicitur præter infinitivum vel genitivus perſonæ, vel nominativus Pronominis poſſeſſivi, neutrius generis. ut, *ἔστιν ἀνδρὸς μεγαλόφρονος ἀποδέχεσθαι ἐλευθερίαν.* Eſt viri magnanimi, approbare libertatem. Ita, *ἐμὸν σόν ἐστι*, meum, tuum eſt.

NB. 1. Verbum ἐστὶ aliquando deſideratur: ut, *πενίαν φέρειν, ἐ παντὸς*, paupertatem rectè ferre, non cujusvis eſt. *ἐπιορκεῖν ἐκ ἐμὸν*, pejerare non eſt meum.

NB. 2. Genitivo perſonæ interdum additur præpoſitio *πρὸς* ut, *πρὸς ἀνδρός ἐστι νοῦν ἔχοντος* viri prudentis eſt. *ἐ πρὸς ὑμῶν τοῦτό ἐστι*, non eſt hoc veſtrum, vel veſtri muneris, aut officii.

NB. 3.

NB. 3. Solet & hîc δεῖ aliquando diſſimulari: ut, ἐ περὶς Φιλοσόφε ψεύδεσθαι, non eſt Philoſophi mentiri.

NB. 4. Invenias etiam hujusmodi formulis nomen ἔργον adjici. ut, ἐμὸν ἔργον δεῖ, meum, vel mei officii eſt. Ita Æſchin. ἔστι δὲ ἀνδρὸς εὖ Φρονοῦντος ἔργον, viri ſapientis officium eſt.

Plaut. in Caſ. non matronarũ officium, ſed meretricum, viris alienis ſubblandiner.

Reg. II.

Verbo δεῖ quando pro licet, vel fit, aut fieri poteſt accipitur, infinitivus ſive ſolus, ſive præſente accuſativo ſubjicitur. ut κατηγορεῖν οὐκ ἔστι, καὶ κρίνειν ὁμοῦ, accuſare, & judicare ſimul non licet. οὐκ ἔστιν εὖ ἄρχειν μὴ ἀρχθέντα, nemo imperare benè poteſt, qui non ipſe prius ſub imperio fuit. (a)

(a) Græciſm. Virg. 6. Æn. nec non & Tityon, terræ omnipotẽtis alumnũ cernere erat, pro cernere licebat.

NB. 1. Loco τοῦ δεῖ, nonnunquam ἔνι uſurpatur. ut, οὐκ ἔνι ἐκ τοῦ παραχρῆμα λαμβάνειν τὰς ἀρετὰς, virtutem illicò aſſequi, impoſſibile eſt.

Plin. De noſtris moribus benè ſperare eſt, ſi &c.

NB. 2. Loco infinitivi adhibetur interdum conjunctio ὅπως cum verbo. ut, οὐκ ἔστιν, ὅπως ἥξουσι, fieri non poteſt, ut veniant. οὐκ ἔσθ' ὅπως ὀλίγοι πολλοῖς εὖνοι γένοιντ' ἄν, non poteſt fieri, ut pauci multis benè veſint. (α)

Tacitus: eſt videre apud eos argentea vaſa, principibus eorũ donata.

NB. 3. ἔστι, mediante adverbio ὅτε, pro

(a) Virg. S

pro fit, contingit, vel ſimpliciter, pro interdum accipitur, & cum Indicativo conſtruitur. ut, ἔστιν, ὅτε τὸν φιλότιμον ἐπαινοῦμεν, fit, ut ambitioſum laudemus interdum; vel, eſt, quando laudamus &c.

ad vitulam ſpectes, nihil eſt, quod pocula laudes. Lucr. haud erit, ut meritò mortalis poſſit haberi. Ter. Si eſt, ut velit reducere uxorem, licet.

Reg. III.

Ἔξεστι, & ἐξὸν, item ἐνδέχεται & συμβαίνει, vel abſolutè cum infinitivo ponuntur, vel additur dativus & infinitivus. ut, οὐκ ἔξεστι ἀδικεῖν, non licet injuſtè facere. ἐξόν μοι λαβεῖν, licitum eſt mihi accipere. οὐκ ἐνδέχεται ἄλλως ἔχειν, non poteſt ſe aliter habere. Τοῖς φαύλοις ἐνδέχεται τὸ τυχὸν πράττειν, improbis licet facere quælibet.

Reg. IV.

Δεῖ, χρὴ, πρέπει, προσήκει & καθήκει adſciſcunt accuſativum, ſequente mox infinitivo, ut, δεῖ ἡμᾶς πονεῖν, Oportet nos laborare.

NB. πρέπει, προσήκει, & καθήκει pro accuſativo, etiam dativum recipiunt, ut πρέπει ἡμῖν, καθήκει ἡμῖν, decet nos. †

† Græciſ. Ter. Vobis decet. Cic. quandoq; id deceat prudentiæ tuæ. Gell. adoleſcens præfatur audacius, quam ætati ejus decebat.

(δεῖ & χρὴ etiam genitivum adſciſcunt, ſi accipiuntur pro opus eſt. ut; δεῖ χρημάτων, opus eſt divitiis. χρὴ

φίλου,

φίλων, opus eſt amicis. Sed hoc modo pertinet ad reg. 1. c. 2. lib. 2 Interdum etiam dativus perſonæ accedit, ut δεῖ μοι χρημάτων opus eſt mihi pecunia. Sed & hæc conſtructio, quam apud Eurip. videre eſt, obſervanda; ἑν δεῖ μόνον μοι, unâ re eſt mihi opus.)

Reg. V.

Μέλει, μεταμέλει, μέτεστι & διαφέρει, præter dativum perſonæ etiam genitivum rei, vel infinitivum adſciſcunt. ut, μέλει μοι τούτου, hoc mihi curæ eſt. μεταμέλει μοι τούτου, pœnitet me hujus rei. μέτεστί μοι τούτου, particeps ſum hujus rei. διαφέρει μοι τούτου, hoc mea intereſt. διαφέρει μοι τὸ σωθῆναι αὐτὸν, mea intereſt illum ſervari.

(Infinitivus ille, quem dixi, adhibetur loco nominativi, quia & hoc modo conſtruuntur hæc verba, more perſonalium ſcilicet. ut Hom. odyſſ. α μῦθος δ' ἄνδρεσσι μελήσει, ſermo viris curæ erit. Ariſtophan. οἴομαι δέ σοι ταῦτα μεταμελήσειν, arbitror fore, ut te horum pœniteat. τί σοι τοῦτο διαφέρει; quid hoc tua refert, vel intereſt? &c.) Ita Cic. Sapientis eſt, nihil quod pœnitere posſit, facere.

Nota. In verbo μεταμέλει pro infiniti-

nitivo uſurpatur etiam participium: ut, μεταμέλει μοι ποιήσαντι, pro ποιῆσαι, pœnitet me feciſſe. Ita Plato: οὔτε νῦν μοι μεταμέλει οὕτως ἀπολογησαμένῳ, neque nunc me pœnitet, quòd ita reſponderim, & me defenderim.

Caput VIII.

De Infinitivorum Conſtructione.

Reg. I.

Infinitivus conſtruitur cum alio verbo, quod reddendum aliàs vel per ἵνα, τελικῶς; vel per ὅτι, εἰδικῶς. ut, ἐκάθισε φαγεῖν, conſedit ut ederet. ἐλπίζω ὄψεσθαι, ſpero quod viſurus ſim. †

† Græciſmum igitur ſapiunt hæc Virgiliana: dederatq; comas diffundere ventis: pro ut diffunderent. Et, magnū dat ferre talentum.

Reg. II.

Infinitivus ſæpè ponitur loco conjunctivi, præcedente particulâ ὥστε, aut ὡς, pro ut poſitâ: accuſativus autem ſi addatur, nominativi vim habet. ut, παρακαλῶ σε ὥστε τυχεῖν δόξης, hortor te, ut conſequaris honores. πολλάκις γέγονεν, ὥστε τοὺς μείζω δύναμιν ἔχοντας, ὑπὸ τῶν ἀσθενεστέρων κρατηθῆναι, ſæpe accidit, ut potentiores qui eſſent, ab imbecillioribus vincerentur. †

† Græciſ. Horat. nec Babylon. tētaris numeros, ut melius quicquid erit pati: Pro, ut melius patiaris, vel pati poſſis,

Idem

(*Idem fit, etiam præcedente particulâ* ὅσον. *ut,* τοσοῦτον διώξαντες, ὅσον μὴ πολύ τι τοῦ στρατοπέδου ἀποστῆναι, *eò usq; inſecuti, ut non multum à caſtris recederent. Ita* οὐ γεγάμηκας, ὅσα γε ϗ ἡμᾶς εἰδέναι, *non duxiſti uxorem, quantum ego ſciam. Lucian. 2. Pertinent huc hæ quoq; formulæ,* ὡς ἔπος εἰπεῖν, *ut breviter dicam.* ὡς συνελόντι εἰπεῖν, *idem.* ὡς ἐμοὶ δοκεῖν, *ut mihi videtur. 3. Hæc ipſa & ſine* ὡς *efferuntur,* ἑνὶ δὲ λόγῳ εἰπεῖν, *ut uno verbo dicam.* συνελόντι δὲ εἰπεῖν, *&c.*)

Reg. III.

Cum manetur in eâdem perſonâ; accuſativus perſonæ eleganter omittitur, ut ἐλπίζω ὄψεσθαι, ſpero me viſurum eſſe. Θεμιστοκλῆς ἔφη ζητεῖν ἄνδρα, Themiſtocles dixit, ſe quærere virum.

Reg. IV.

Caſus ſequens infinitivum εἶναι, & ſimiles convenit cum proximo caſu præcedente. * ut,

λέγω	εἶναι φίλος	*dico me*	*eſſe amicum:*
λέγεις		*dicis te*	
λέγει		*dicit ſe*	

* Ita Terent. meditor eſſe affabilis. Nō edat hanc volucrem, qui cupit eſſe ſalax, h. e. qui cupit ſe eſſe ſalacem. Sic enim Cic. in Catil. Cupio me eſſe clementem. Ovid rettulit Ajax eſſe Jovis pronepos, h. e. ſe eſſe pronepotem. Idem; acceptum refero verſibus eſſe nocens.

περικλῆς ἔφησε, μέχρι τοῦ βωμοῦ φίλος εἶναι. περὶ τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι ὑγιοῦς, de eo, quod futurum eſt ſanum. ἡμῖν πρέπει εἶναι εὐσεβέσι, nobis convenit eſſe probis.

(Interdum tamen poſterior caſus infinitivum reſpicit, non caſum antecedentem. ut apud Pauſan. τοῖς ἐντυγχάνουσι παρεκελεύοντο ἄνδρας ἀγαθοὺς εἶναι, *obvios quosq; cohortabantur, ut ſtrenuos ſe præſtarent viros.)*

REG. V.

Infinitivus Atticè mutatur in Participium ejus generis, numeri, & caſus, cujuſmodi antecedens, & contextus orationis requirit. ut, εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα, pro ἔχειν. Inventa eſt in utero habere. ὁρῶ τὰ παρόντα πολλὴν δυσκωλίαν ἔχοντα, video præſentia multam difficultatem habere.

CAPUT IX.

De Infinitivis, uſurpatis pro Gerundiis & Supinis, quibus Græci aliàs deſtituuntur.

REG. I.

Gerundium in Do, effertur vel infini-

finitivo ſolo, vel infinitivo mediante articulo genitivi caſus, particulâ ἕνεκα ſive omiſsâ, ſive additâ ut, ὥρα ἀπιέναι, tempus abeundi. καὶ εἰσῆλθε τοῦ μεῖναι σὺν αὐτοῖς, & ingreſſus eſt manendi causâ, ſeu, ut maneret cum ipſis οὐδὲν ἄπιστον ἔπραξα τοῦ νικᾶν ἕνεκα, nihil perfidè egi vincendi causâ. †

† Plaut. Capt. nūc adeſt occaſio beneficia cumulare: pro, cumulādi. Virg. Soli cantare periti: pro, cantandi. Salluſt. Arma civilia cepit, legum ac libertatis ſubvertendæ ſc. causâ.

Reg. II.

Infinitivus cum articulo dativi caſus, mediante præpoſitione ἐν, ſive expreſsâ, ſive intellectâ, ponitur loco Gerundii in Do; & interdum accedente accuſativo, exponitur per duos ablativos, conſequentiam deſignantes. ut, τῷ ὑπισχνεῖσθαι ἔπεισεν, pollicendo perſvaſit. ἐν τῷ βασιλεύειν Τραϊανὸν, regnante Trajano.

Reg. III.

In Dum gerundia efferuntur vel infinitivo ſolo, vel infinitivo mediante præpoſitione cum articulo accuſativi caſus ut, λαλεῖν ἄριστος, idoneus ad garriendum. πορεύομαι ἑτοιμάσαι ὑμῖν τόπον, vado ad parandum vobis locum. ἔξειμι πρὸς τὸ μάχεσθαι, exeo ad pugnandum.

(Idem fieri poteſt etiam per participium præſertim futuri temporis, ut Ἀλέξανδρος παρῆκεν ἑαυτὸν ἐξηπατησόμενον ὑπὸ τῶν προφητῶν. *Alexander commiſit ſe decipiendum à vatibus. Item per verbalia in* τέον, *ut ex ſeq. cap. apparebit.)*

Reg. IV.

Supinum prius effertur verbo, motum ad locum ſignificanti addito vel infinitivo, vel participio. ut, ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην, veni miſſum pacem. ἄπειμι ἐκείνοις ταῦτα εὐαγγελιούμενος, abeo allatum illis hunc lætum nuncium. ἥκομεν Εὐβοεῦσι βεβοηθηκότες, venimus Euboenſibus adjutum, h. e. ut adjuvaremus Euboenſes.

Reg. V.

Ubi Latini utuntur adjectivo, & poſteriore ſupino, ibi Græci utuntur infinitivo, cum adjectivo. ut, ἀδύνατα γενέσθαι, factu impoſſibilia. Ita, ἃ ποιεῖν αἰσχρὸν, ταῦτα νόμιζε μηδὲ λέγειν εἶναι καλὸν, h. e. quæ factu turpia ſunt, ea ne dictu quidem honeſta exiſtimes.

Caput X.

De Verbalibus in έον

Reg. I.

Verbalia in έον (impersonaliter ſumta) dativum perſonæ, & caſum rei, quem verba ipſorum habent, adſciſcunt. ut, μνημονευτέον καὶ τοῦ Σωκράτους, & Socratis mentio facienda eſt. νέοις ζηλωτέον τοὺς γέροντας, juvenibus imitandum eſt ſeniores. τοῖς νόμοις χρηστέον, legibus utendum eſt. †.

(Verbalia in έον, ſæpè alias etiam ſine caſu verborum ſuorum, & vel cum ſolo dativo, vel cum infinitivo, vel abſolutè ponuntur. ut, ἰτέον ἐμοὶ, eundum eſt mihi. πειρατέον χρῆσθαι, enitendum eſt, ut utamur. ἐλπιστέον, ſperandum eſt.)

Reg. II.

Verbalia in έον ſæpè more adjectivorum in eodem genere, numero, & caſu; more autem ſubſtantivorum in genitivo caſu, cum nomine ponuntur. ut, ἀγαθὸς μόνος τιμητέος, ſolus bonus honorandus eſt. ταῦτα ἡμῖν ἡγοῦμαι εἶναι πρακτέα, Hæc arbitror nobis eſſe facienda. Item, ἡ φρόνησις ἐστὶ διάγνωσις τῶν ποιητέων,

† Græciſ. Virg. Pacē Trojano à rege petēdum eſt. Lucretius; æternas quoniam pœnas in morte timendum eſt. Cic. Serviendū eſt brevitati, &c.

καὶ ὀ ποιητέων, Prudentia eſt faciendorum, & non faciendorũ diſcretio.

LIBER III.

DE Syntaxi reliquarum Partium declinabilium.

CAPUT I.

De Syntaxi Articulorum.

REG. I.

Quando adjectivum jungitur ſubſtantivo, tùm articulus vel planè omittitur, vel alterutri ſaltem, vel etjam utrique adjicitur. ut, ἀνὴρ ἀγαθὸς. ὁ ἀνὴρ ἀγαθὸς. ἀνὴρ ὁ ἀγαθὸς, ὁ ἀνὴρ ὁ ἀγαθὸς. vir bonus.

REG. II.

Articuli à ſuis vocibus aliarum vocum, articulo veſtitarum interpoſitione ſejunguntur. ut, οἱ τὴν τῶν ἁπάντων φρουρίδα ἔχοντες, omnium rerum curam habentes.

REG. III.

Relativum (h. e. articulus poſtpoſitivus) cum antecedente ſubſtantivo &c. No-

Nota. Relativum etiam caſu convenit cum præcedente ſubſtantivo, ſive expreſſo, ſive poſtpoſito, ſive etiam omiſſo. ut, Joh. 4. ἐπίστευσε λόγῳ, ᾧ εἶπεν Ιησοῦς, credebat ſermoni, quem dixit Jeſus. Joh. 11 μνημονεύετε τοῦ λόγου, οὗ ἐγὼ εἶπον ἡμῖν Pro ὃν εἶπεν, ὃν εἶπον &c. Ita, ἀπολαύω ὧν ἔχω ἀγαθῶν, pro ἀπολαύω ἀγαθῶν, ἃ ἔχω, fruor bonis, quæ habeo. Et, ὧν πολλάκις ἐλπίζουσιν οἱ ἄνθρωποι, οὐδὲν συμβαίνει, ſæpè nihil eorum contingit, quæ homines ſperant, pro οὐδὲν ἐκείνων, ἃ ἐλπίζουσι, &c. χρῶμαι οἷς ἔχω, pro ἐκείνοις, ἃ ἔχω.

Reg. IV.

Articulus ſine caſu reſpondente præpoſitus genitivo nominis ſubſtantivi, poſſeſſionem ſignificat: & tunc ſubauditur commodum aliquod nomen, vel participium. ut, Matth. 16. οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων non ſapis ea, quæ ſunt Dei, ſed quæ ſunt hominum. Sic, τὰ ἡροδότου, ſcripta Herodoti.

Reg. V.

Articulus neutrius generis, articulo alteri cum nomine genitivi caſus præpoſitus; ponitur pro ipſo nomine,

tàm in ſingulari, quàm in plurali numero, per omnes caſus (ſolo excepto genitivo plurali propter κακοφωνίαν geminandorum eorundem articulorum τῶν τῶν) ut, τὸ & τὰ τῆς τιμωρίας, pœna, τοῦ & τῶν τῆς τιμωρίας, pœnæ &c. ita in plurali. τὼ & τὰ τῶν τιμωριῶν, pœnæ, τοῖν & τοῖς τῶν τιμωριῶν pœnis, &c.

Reg. VI.

Quando articulus vel adverbio, vel præpoſitioni præmittitur, ſubintelligendum eſt commodum aliquod participium, & eſt periphraſis nominis. ut, ὁ πλησίον. ſc. ὢν, qui prope eſt, h. e. proximus οἱ πάλαι. ſc. ὄντες vel γενόμενοι, illi qui olim fuerunt, h. e. antiqui. τὰ οἴκοι, res domeſticæ τὰ ἄνωθεν, ſuperna. ἡ ἔξωθεν νόσος, morbus externus. (a)

Ita οἱ ἀπὸ Πλάτωνος, Platonis auditores. οἱ περὶ τὴν ποίησιν, καὶ τοὺς λόγους, Poetæ & oratores, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ſc. ὢν. qui eſt in cœlis, h. e. cœleſtis. †

(a) Græc. Virg. neque ignari ſumus ante malorum, hoc eſt, τῶν πρὶν κακῶν. Terent. omne quod eſt interea tempus, h. e. ὁ μεταξὺ χρόνος.

